palæſtras conſcendere? Diodorus Stoicus viſu privatus fuit, ver-
ſabatur tamen in Philoſophia, et fidibus Pythagoræorum more
utebatur, munusq; tuebatur Geometriæ, diſcentibus præcipiens,
unde, quo quamq; lineam ſcriberent. Quid horum ad-
infirmare poteſtis? ſunt ex vobis complures, qui non opinantur,
ſed ſciunt; non audierunt, ſed viderunt; viderunt? imo verò
et interfuerunt. An verò acutos homines et cæcos videnti-
bus poſtponendos arbitramini? quid? ſinite me paululum liberiùs
loqui. Ingrediamur totius eloquentiæ uberrimos campos,
perſpiciamus quàm ſedulò cæci eos excoluerint, excultos per-
fecerint, perfectos omni poſteritati inſpiciendos tradiderint,
qualesq; ſtudiorum fructus protulerint. Ac in primis Poë-
ticen adeamus (de inferioribus enim nihil dicam; nam ſicut
non datur Areopagita, niſi cui facem prætulerit Stagirita;)
ita nec ars poëtica poteſt conſiſtere ſine face gramatica;
Poëticen, inquam, adeamus, quæ reliquarum diſciplinarum
magiſtra eſt, hæc enim delectat audientium multitudinem ele-
ganti oratione atq; numeroſa; erigit aſtantium mentes, mag-
nifica verborum et ſententiarum gravitate; percellit admiratione,
ſtupore defigit; an putatis in ea cæcos aut profeciſſe, aut
excellere potuiſſe? quid? annon hujus princeps Homerus, in-
geniorum phœnix ſcientiarumq; fons, et humanæ terminus